



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

[Præludium.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

2. **ESSE TALEM QUALEM SE FACIT, ET FACIT.** Quia multiplex est error, qui circa personæ identitatem oriri potest, idè ut vitetur, Ordinarius fidei iussor accedit. Alius est enim error personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, quando putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando putatur hic esse dives, qui est pauper. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui est servus. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est, *cap. unic. 29. q. 1.* ubi habetur, quod error fortunæ, & qualitatis conjugii consensum non excludit.

3. **CUNCTIS TESTAMUR.** Testimonium identitatis, & legalitatis personæ

Patochi, vel Notarii, Ordinarii non possunt denegare; quia cogimur de jure aliis prodesse, ubi nobis non obest, ut inquit *Glof. in cap. quisquis 11. quest. 3.* Quod quidem juvat, non solum ad excludendam fictionem, sed includendam identitatem personæ; quæ licet regulariter præsumatur, ex identitate, & nuncupatione ejusdem nominis, ut dicit *Medic. de regul. jur. par. 2. reg. 1. n. 14.* Nihilominus verior est opinio, quod ex sola nominis identitate inferri non valeat ad identitatem personæ, ut tenuit *Rot. dec. 133. n. 2. & 3. part. 15. & decis. 352. n. 31. p. 16. rec.* Cum experientia compertum sit, plures homines eodem tempore vivere etiam in eodem loco, qui eodem nomine, & agnomine nuncupantur.

## TITULUS XI.

### De Monialibus.

#### Præliudium.

#### SUMMARIUM.

1. *Accessus ad Crates Monialium ubi frequentes sunt abusus, potest esse casus reservatus.*
2. *Item potest prohiberi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si eveniunt scandala, & n. 3.*

**N**Eque hic, neque alibi in tit. de edictis traditur Formula, qua Episcopus debeat accessum prohibere ad Collocutoria Monialium; quia non omnibus locis, & Diœcesibus convenit eadem Formula; sed talis prohibitio debet arctari, extendi, & moderari, prout abusus, & indigentia locorum postulat. Etenim etiam si regulariter accessus ad Collocutoria sine licentia, non sit casus reservatus Episcopo; adhuc si talis culpa esset frequens, & alio modo removeri non posset, utpotè quia simplex prohibitio cum

comminatione censurarum contemnitur, & indè inconvenientia oriuntur, permittitur, ut fiat casus reservatus, prout est *Bononiæ Sacr. Congregat. Episcop. 26. Octobris 1604.* licet antea *sub 15. Aprilis 1603.* id Archiepiscopo denegasset.

2. Item pœna excommunicationis latæ sententiæ contra accedentes sine licentia Episcopi numquam fuit à Sac. Congregatione laudata, sed sequendo dispositionem text. in cap. *Monasteria de vir. & honestat. Cleric.* comminatoriam tantum approbat teste *Nicol. in flos. verb. accessus n. 6.* quæ Congregationis sententia fulcitur rationibus adductis à *Donat. prax. rer. regular. to. 4. tract. 6. de acces. ad Monial. q. 18.*

3. Et nihilominus si ex frequenti accessu personarum, præsertim nobilium potentium, aut ex alia gravi circumstantia, scandala eveniant, & inconvenientia, excommunicationem etiam latæ sententiæ sustinet, prout bis proposita causa eadem *Sac. Congregat. Episcop. sustinuit in una Civitatis Castellii* contra accedentes ad Collocutoria Monasterii Monialium